

# Franckesche Stiftungen zu Halle

**Dispvtatio Prima Eaqve Periodica De Principio  
Cognoscendi Theologiam Revelatam Sive Sacra Scriptvra**

**Dieterich, Martin**

**Francofurti Ad Viadrvm, [1745?]**

**VD18 13450638**

**Cap. I. De libris S. Scripturae generatim.**

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and further information please contact the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



CAP. I.

De libris S. Scripturae generatim.

§. I.

**A**n disputatione de natura atque indole Theologiae revelatae ostendimus, Theologiam naturalem in statu praesenti ad salutem consequendam non sufficere, quicquid etiamogganiant *Edoardus Herbertus de Cherbury* ejusque asseclae, §. 2. et 3. miseriae autem nostrae et divinae bonitatis meditatione nos convinci, viam aeterno exitio elabendi alicubi manifestatam esse. §. 4. Sicuti ergo diversis modis, quos perfectionibus divinis non derogare, ratio quoque videt, multa hominibus revelavit Deus §. 5. in primis per S. Scripturam §. 6. ita ordinarium hoc principium cognoscendi

A

scendi oeconomiam salutis paulo accuratius nunc considerare constituimus. In quo quidem proposito ut ordine procedamus, dicendum erit primum, *quos libros, qualemque inspiracionem intelligamus, deinde quibus argumentis ducti scripta Prophetarum et Apostolorum in tanto pretio habeamus, et denique quaenam proprietates et officia inde fluant.*

§. II. Complexus illorum librorum, qui *fundamentum fidei dogmaticum* Ephes. II - 20. a fundamento *reali* sive Christo probe discernendum, i. Cor. III - 11. jaciunt, vocatur *Sacra Scriptura*

1. *a causa efficiente principali*, quae est sanctissimus Deus 2. Tim. III - 16. et *ministeriali*, quae sunt sancti Dei homines 2. Pet. I - 21.
2. *ab objecto*, quod sunt res sacrae 2. Tim. III - 15, 16.
3. *a fine et effectu*, qui est sanctificatio. Joh. XVII - 17.
4. *ab adjuncta differentia*, qua ab omnibus non solum profanis sed etiam ecclesiasticis scriptis separata est i. Thess. II - 13.

§. III. Dividitur autem *ratione temporis* in libros veteris et novi Testamenti. *Veteris Testimenti libros* nominamus, qui a Mose et Prophetis Spiritus Sancti instinctu ante Christum humana natura vestitum lingua Hebraica scripti et ecclesiae Iudaicae comniendati sunt. Dispescuntur vero commodissime in historicos, morales et propheticos. *Historici* continent vitas Patriarcharum et res gestas Israëlitarum. *Morales* sunt libri Jobi, Davidis et Salomonis. *Propheticci* quatuor maiores, duodecim minores, quorum mentionem facit Siracides Cap. XLIX - 12. Psalmos etiam in censum librorum propheticorum venire, res ipsa loquitur. In ipso sacro codice in Mosen et Prophetas dividuntur Luc. XVI - 29, 31. item in Mosen, Prophetas et Psalmos Luc. XXIV - 44. Cum qua distinctione quodammodo convenit illa Iudeorum in *הָרָה* sive *legem*, seu *Prophetas*,

אַחֲרִונִים, quos porro disperciunt in priores et posteriores, et denique כתובות bagiographa, circa quae tamen cautio adhibenda est, ne exemplo recentiorum Judaeorum illis ipsis minorem auctoritatem ac dignitatem quam reliquis libris tribuamus.

§. IV. Scriptura novi Testamenti absolvitur libris tum *historicis*, vitam Christi et acta Apostolorum exponentibus, tum *dogmaticis* et *moralibus*, Epistolis scilicet Pauli et reliquorum Apostolorum, tum *propheticis*, qui est Apocalypsis Johanna. Atque haec volumina ab Evangelistis et Apostolis immediato Spiritus Sancti impulsu sermone graeco post Christum natum consignata et Ecclesiae Christianae tradita esse novimus. Circa quae tamen monendum videtur, illos libros, qui in N. T. codice apparent, duplicis generis esse, a) eos, de quorum origine divina nunquam in Ecclesia dubitatum fuit, b) illos, quorum Deuteroevangelia ab aliquibus ad tempus in dubium vocata fuit, donec veritas triumpharet, videlicet Epistolam ad Hebreos, posteriorem Petri, secundam et tertiam Johannis, epistolam Jacobi et Judae, itemque Apocalypsin Johannis, quique nomen librorum canoniconum secundi ordinis gerunt, neque tamen non in afferendis fidei et morum dogmatibus eadem auctoritate, qua reliqui libri sacrarum literarum gaudent. Et tantum abest, ut severissimo illo examine majestati eorum, quae diximus, scriptorum derogetur, ut potius sententia lata fundamentum, quod lubricum videbatur, confirmetur, et primorum Christianorum sollicita inquisitio summa laudem mereatur. Conf. Jo. Frickius de cura veteris ecclesiae circa canonem sacrae scripturae.

§. V. Qui autem in calce V. T. plerisque Prophetarum versionibus subjungi solent libri, recte dicuntur *apocryphi*; id est

est absconditi, propterea quod non sunt scripti a Prophetis, nec lingua prophetica, nec continent vaticinia de Christo, nec a veteri ecclesia judaica, cui oracula Dei credita erant, Rom. III - 2. Rom. IX - 4. Deut. XXXI - 4. ss. conf. Jos. XXIV - 26. 1. Sam. X - 25. recepti, nec a primigenia ecclesia N. T. probati, nec a Christo et Apostolis allegati sunt, imo vero etiam *arvata* quaedam continent, librisque canonicis et sanæ doctrinae contraria. Sic *Siracides* praestigias Satanae Samueli adscribit, Cap. XLVI - 23. et in praefatione ecclesiastici veniam sibi dari petit, si qua minus commode verterit, quod scriptore *Georius* indignum esse fatebitur. In libro *Tobiae* Angelus proponitur mendax Cap. V - 19. superstitione docetur Cap. VI - 20. *Judith* approbat caudem Simeonis foedifragi Cap. IX - 2. contra Gen. XLIX - 5, 6. coll. cum Cap. XXXIV - 25, 30. Atque ita in medium proferendi non sunt, cum canonica scriptura postulatur, quamvis alias non plane abscondendi sint, sed utiliter legendi. Quod vero a Patribus aliquando, et ipso quidem Augustino Canonici appellantur, id generaliore profecto et minus proprio sensu dictum esse intelligitur. *Philippus* quidem a *Limborch Theol. Chriſt.* Cap. III, §. 4. 5. in tres classes divini codicis libros distributos fuisse scribit, in *canonicos*, ex quibus dogmata fidei probantur, *apocryphos*, qui in ecclesia legi non poterant, domi tamen legi permettebantur, *medios*, quos ad plebis aedificationem legere licet, non autem ad fidem confirmandam. Atque idem testatur, hos postremos interdum etiam canonicos vocari a Patribus, quod quandam quasi morum normam complectantur, illos autem luculenter distinguui ab iis, quorum auctoritas ad dogmata ecclesiae probanda valet. Et *Hieronymus* in praefatione in libros Salomonis haec habet: *sicut Judith et Tobiae et Maccabaeorum libros legit quidem ecclesia, sed eos in*